

Etissimi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo &c. et finiunt notabili dicto: Sciat se non esse episcopum, qui preeffe desiderat, non prodesse.

Ultimis binis *Paginis* Manus quaedam Sec. XIV. currente penna quaedam adscriptit *Homiletica* de Resurrectione et Passione Christi.

CCCLXVIII.

R. 2186 Codex membranaceus lat. in confinio Sec. XIV. et XV. pulcre per scriptus, Folior. 130. f. min. coloribus illustratus et olim *Carthusiae SS. Trinit. in Königsfeld* prope *Brunnam Moravorum* continet sequentia: I. *Incipit Liber Cassiodori de Anima*. Praeit *Capitulum Elenchus* meliore, ut videtur, divisione, quam in *Edit. Gareti Rotomag. 1679. T. II. p. 627. f.* quacum *Textum nostrum* contuli, fatisque concordem reperi, nisi quod in *C. de Virtutibus moralibus Animae* *Definitio Temperantiae* suo loco mota, et *calci praecedentis C.* perperam adfuta est. Ad finem haec *Rubrica* legitur: *Scriptum anno domini Millesimo trecentesimo nonagesimo nono Infra octabas Epifanie domini feria sexta hora prima noctis per manus Nicolai mendlini wagendrüffel de bostradicz.*

II. *fol. 24.* continuo sequitur: *Magni Aurelij Cassiodori Senatoris viri clarissimi et Illustris. exquestoris pallatij. exconsulis ordinarij. exmagistri officij. prepositi atque patritij Libri de Amicitia Incipit prologus.* Ita nempe: *Quoni-*

am diminute sunt veritates a filijs hominum et refrigescente caritate &c.

III. *fol. 40. p. 2.* *Incipit libellus de caritate seu de dilectione dei.* *Initium: Sicut praecedentia docuerunt, amicitia vera non est &c.* *Dixi de II. his Libellis non Cassiodoro, sed Petro Blesensi* inscribendis *Vol. I. P. I. col. 928.* quo te, si lubitum est, refer. *Omnia haec III. Opuscula notis marginum gaudent, quibus vocum minus obviarum significatus etymologice et grammaticae explicatur.*

IV. *fol. 83. p. 2.* *Incipit Tractatus utilissimus de conscientia sancti Bernardi abbatis clareuallen.* *Ita quidem: Conscientia in qua anima perpetuo est mansura edificanda est. sed prius mundanda &c.* *Nec Bernardi est, nec hic integer, sed deflorationes C. I. VI. VII. X. XI. et XV.* *Integer extat in Opp. Bernardi Paris. 1690. T. V. col. 335.* *inscriptus de Interiori Domo.* *Ad calcem nobis iterum minio: Per manus Nicolay Mendlini wagendrüffel de bostradicz.* *Eodem anno, sed feria quarta ante ostensionem Reliquiarum.* *De hac consulenda vetusta Calendaria Ecclesiae Olomucensis. Hostradicz. Circuli Znoymensis Oppidum est.*

V. *fol. 88.* *praemisso de Seneca loco Hieronymi in Catal. Viror. illustr.* et noto *Philosophi Epitaphio: Cura, labor, meritum &c.* *ejus epistolare commercium cum Paulo Apostolo succedit, spurium illud et a nobis non semel relatum, atque hic integrum XIV. Episto-*

pistolis constans, quarum tamen quae XI. esse debet, ad XIII. trajecta est. Vide de iis *Fabricii Cod. Apocryph. N. T. P. I. p. 880.* In calce nostra: *Iste liber est comparatus pro II. Sexag. gros. minus duobus gros. Tempore domini Georgij prioris in noua valla ordinis kartbusien. Anno domini vt Supra scriptum est. Igitur 1399.*

VI. fol. 91. non minus elegantiam manu *Incipit Opus Origenis tam in prosa quam in Glosa Super tractatu qui dicitur Cantica canticorum.* Norunt Eruditi, *Origenem* bis in *Cantica* scripsisse, aut plane ter, siquidem *Homiliae II.* quas

ab *Hieronymo* latine redditas habemus, neque ad illum, quem *Iuuenis* scripserat, *Tomum*, neque ad X. illos, quorum pars interprete *Rufino* superest, pertineant. Nihil horum hic, sed *Paraphrasis* metrica, quam *Titulus* incommode *Profam* adpellat, subsequenti- bus brevibus *Postillis*, siue *Glossa*, et quidem in tota *Cantica*, ut a deo, cum, quae restant *Origeniana*, *Caput II.* non egrediantur, aetate *Paraphraetae* aut integra superuisse, quod vix putem, aut mentiri *Titulum* necesse fit. *Praeambula* porro nobis tria sunt. *Primo* commendatur *Autor*:

*Doctus Origenes cum doctos vicerit omnes
In libris alijs, hoc in libro salomonis
Semet transcendens fuit eius cantica tractans &c.*

Hieronymi *Epistolam*, qua *Damaso II. Origenis Homilias* inscribit, versibus hic reddidit *Autor*. Se-

Omni plena bono salomonis cantica regis —

Cur vero te teneo? *Lector!* *Petri de Riga* *Paraphrasis* est ex ejus *Aurora* deprompta, quam *Vol. I. P. I. a col. 327.* multis *Codicibus* retuli. Quis *Glossam* profaicam illi ad calcem adjecerit, ignoro. *Intercipitur* vero illa *Narratione* prodigiali de *Juvene* quodam, cujus caput in pugna resectum *B. V. Mariae* interventu tam diu vivum servatum fuit, dum de admittis noxis *Sacerdoti* confiteretur, et sacra *mysteria* susciperet. *Praemissa* *adhortatione* ad eam colen-

quitur *Commendatio operis sequentis*:

dam ita orditur: *Johannes* quondam *rex iberusalem* (*Briennius*, *Comes Marchiae* ✠ 1237.) cum cessisset *regno eidem Friderico (II.) imperatori* genero suo, ad *mandatum Domini Gregorij IX. sedis apostolice pontificis* obsedit *castrum* quod dicitur *apud sanctum seueratum* &c. Tò *eidem Friderico* denotat *Narrationem* excerptam e quodam *Tractatu* de dicto *Imperatore*. Ad calcem *Glossae* nova *Formula* *miniata*:

Scriptori digne (jam?) costa affatur in igne.

VII. fol. 127. *Visio quam Ulricus sacerdos vidit licet indignus de volchenmarcht prepositus archidyaconus karintie.* Init: *Quia proprium est invidorum que bona audierunt, animo tabefacto laceffere, et falsa ueris sub specie veri immiscere, idcirco ego Ulricus de volchenmarcht (Volkenmarkt Gentiforum Civitas ad Dravum) prepositus licet indignus visionem, quam dominus ihesus christus mihi per gratiam suam reuelare dignatus est, fratribus qui id audire voluerint, non fastu presumcionis alicuius sed spe correctionis fideliter enotare proposui.* Anno igitur gratie M^o. CC^o. XL^o. in festo sancti siluestri pape cepi grauiter infirmari &c. Narratio Beatorum felicitatem et Impiorum supplicia sub varia allegoria depingit ad modum plurium eiusmodi Visionum, quae feruntur. Illud singulare, quod refert *Ulricus*, dum *εκατακτος* super lectum prius unguento balsamato perunctum ab Angelo ductore quiescere iuberetur, eodem tempore hos, qui circa illum erant, ex eo sensisse *procedere insoliti odoris fragrantiam*. Accedit pium Commentum de quodam Episcopo, cui Deus pro aliquot diebus sceptrum, thronum et gubernationem rerum humanarum permiserat, item series Verficulorum moralium levis momenti, omniaque in miniatam hanc exeunt clausulam: *Explicit opus venerabilis doctoris Origenis super Cantica Canticorum Salomonis Comparatum tempore domini*

Georgii prioris karth. in kungswelt, et post quaedam erasa: Sabbato ante oculi. Anno incarnationis Millesimo domini CCCC. Hec tibi Sancta Trinitas quia tu laborem et dolorem consideras. Item Imprecatio: Iste libellus est domus sancte trinitatis prope brunnam ordinis carthusien. Non furto auferatur sub pena eterne mortis quam sancta trinitas fulminabit iusto sancto suo iudicio super delinquentem. Cur Carthusia ista hic in Königsfeld dicta supra N. V. in Nova Valla s. Valle dicatur, nescio.

CCCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 820 XII. Folior. 317. f. max. per duas columnas nitidissime exaratus, rubricis distinctus, et, ut manus Sec. XIV. praenotavit: *Liber de Maur. ecclesia*, demum *Collegii Vienn. Soc. Jesu* egregium Exemplar est B. Gregorii Papae *Moralium* siue *Expositionis in Job*. Praescripta illi est Narratio de rursus *Romae* reperto hoc Opere manu Sec. XIV. phrasi paullum varians ab ea, quam *Mauriani* T. I. *Opp. Gregorii* exhibent. *Cyndesindus* eorum Rex nobis *Xyndesindus* est, eorum Episcopus *Tagio* vel *Trajo* nobis *Baro*. Extrema nobis: *Hec visio in omnibus libris moralium ante ipsum prologum per totam Hispaniam invenitur. Tu &c.* Id est: *Tu autem, Domine! miserere nobis.* Formula haec est terminandi *Lectiones in Officio Chori,*